



Script: Panem et circenses

DATE: June, 80 AD

Salutatio

Favonius: Salvete, omnes! Mihi nomen est Marcus Favonius et hoc est Forum Romanum!
Quid novi est hodie? Brevi tempore videbimus. At prius, ecce Quaestio Hodierna!

Quaestio Hodierna

Lector: Quaestio hodierna est de architectura: Tria genera architecturae classicae sunt Doricum, Ionicum, et _____ . Responsum dabitur ad finem Fori Romani.

QVID NOVI?

Favonius: Et nunc videamus quid novi sit. Hodie Amphitheatrum Flavium tandem dedicatum est! Imperator Caesar Augustus Titus Flavius Vespasianus dedicavit hoc novum amphitheatrum, paene post annum decimum quam inceptum est. Titus, Imperator noster, atque frater Flavius Domitianus decreverunt ludos magnificos plurimos dies habendos! Hoc ipso tempore, nostra Iulia Pauli est ante Amphitheatrum Flavium ipsum. Ergo ad eam statim eamus.

ET ALIA (Iulia in front of Colosseum; interviews Juvenal)

Iulia: Ave atque salve, Favoni! Adsum ante Amphitheatrum Flavium, novissimum atque splendidissimum amphitheatrum omnium!

Favonius: Ut plane videmus. Narra tu nobis quid ibi accidat.

Iulia: Libenter. Ut mihi videtur, paene totus Populus Romanus adest ad ludos magnificos spectandos: senatores et servi; liberi atque liberti; matronae militesque!

Favonius: Nisi erro, quinquaginta milia hominum Amphitheatrum Flavium potest continere!

Iulia: Id est quod narrant. Spectatores coeperunt advenire hodie multo mane ut viderent spectacula.

Favonius: Qualia spectacula fiunt?

Iulia: Ut saepe, primo erant homines scelesti ad bestias damnati. Post hoc miserandum spectaculum erant venationes optimaе! Multa milia animalium collecta sunt ab omnibus partibus Maris Nostri: ursi et tauri, leones et pantherae! Etiam elephantes crocodilique!

Favonius: Mirandum! Verum ubi tot animalia possunt contineri?

Iulia: In carceribus subter arenam ipsam—praeter elephantes scilicet.

Favonius: Subter arenam! Quam callide! Dispeream nisi fabri Romani sint optimi machinatores toto in orbe terrarum!

Iulia: Constat. Quod magis, super totum amphitheatrum est velarium maximum quod perhibeat solem a spectatoribus!

Favonius: Mirifice! At tamen, dic nobis plura de ludis, quaeso.

Iulia: Libenter. Post venationes munera gladiatoria dabantur. Sanguis perfluit totam per arenam! Nonnulli gladiatores tam bene pugnabant ut mitterentur, sed alii...pollice verso.

Favonius: Potesne, Iulia, loqui cum uno e spectatoribus?

Iulia: Ita faciam statim. Heus tu, te volo! (**Juvenal appears**) Salve, mi amice! Quod nomen tibi est?

Juvenal: Salve tu. Decimus Iunius Iuvenalis sum.

Iulia: Tu fuisti intus, spectans hos ludos mirandos, nonne?

Juvenal: Ita vero, intus fui. At vero haud gaudeo intus fuisse. Horrendum erat, si me roges.

Iulia: Horrendumne? Quomodo?

Juvenal: Quale spectaculum est videre trecentos homines fortes atque tria milia bestiarum innocentium crudelissime ad mortem ducta!?

Iulia: Fortasse verumst. At tamen, nonne hoc aedificium mirabile est!

Juvenal: Mirabile, fateor. In re architecturae, certe miraculum est! Ecce illas columnas bellissimas: tria genera architecturae—Doricum, Ionicum atque Corinthium!

Iulia: Hoc aedificium ergo tibi placet, nonne?

Juvenal: Non in toto. Ecce! In exteriori parte, magnificentia et dignitas; verum in interiori, crudelitas et inhumanitas! Nonne tu haec audis? Hoc est Urbs Roma ipsa—marmor sanguine perfluens!

Iulia: Plane tibi non placent munera gladiatoria ludique circenses.

Juvenal: Sane. Mihi haud placent, sed, ut plane audis, Populo Romano placent. Temporibus pristinis Populus Romanus libertatem tantam amabat. At nunc, duas res tantas amavit Populus Romanus: panem et circenses!

Iulia: Utinam plus audire possemus, Iuvenalis, sed, vae nobis, tempus fugit! Gratias tibi ago et valeas. Totum est, Favoni, rursus ad te!

Favonius: Gratias agimus, Iulia.

Tempestas Hodierna

Favonius: Tempus est audire de tempestate. Quam ob rem, ecce Aulus Serenus!

Serenus: Gratias tibi ago, Favoni. Videamus quaenam sit tempestas hodie. Hoc die festo, totam per Italiam caelum serenum est. Gratias Iovi! Quam bellam tempestatem ad ludos spectandos! At vero ego ludos spectare non possum quod hic sum...at tamen videamus quaenam sit tempestas alibi circum Mare Nostrum. In Aegypto ubi sunt Pyramides atque Pharos Alexandriae, caldissima est tempestas. Multos dies iam Iuppiter non pluit! In Asia, ubi est Mausoleum Halicarnassi et Templum Artemis Ephesi, sol splendide lucet et tempestas caldissima est. Atque sol lucet apud insulam Rhodum, ubi quondam erat situs in portu Colossus Apollinis, simillimus colosso iuxta nostrum Amphitheatrum Flavium! Iam satis est. Aulus Serenus sum atque spero caela sint vobis valde serena!

Responsum Quaestioni

Favonius: Multas gratias, Serene. Et nunc, ecce responsum quaestioni hodiernae.

Lector: Quaestio hodierna erat ut sequitur: Tria genera architecturae classicae sunt Doricum, Ionicum, et _____ . Responsum est hoc: Corinthium.

Dictum Hodiernum

Favonius: Nunc tempus est videre nostrum Dictum Hodiernum!

Lector: Hoc est dictum hodiernum: panem et circenses

Valedictio

Favonius: Verba notanda. Ut repetamus nuntios principales: Hodie, splendidissimum Amphitheatrum Flavium tandem dedicatum est! Totum est ad hanc editionem Fori Romani. Gratias summas agimus et di vobis faveant. Valete omnes!

Forum Romanum
Show #10: Panem et Circenses

© 1997 by John Donohue